


EPISTULA LEONINA

CLXXX

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CLXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM OCTOGESIMAM (180) !

ARGUMENTA

QUID AUTEM VIDES FESTUCAM IN OCULO FRATRIS TUI.....	03
CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA (II).....	04
FABELLAE GRIMMIANAE:	
De avo vetere eiusque nepote.....	05-06
Nympha.....	06-07
De morte gallinulae.....	07-09
DE EPICURO PHILOSOPHO (I).....	10-15
IOHANNES TERESI QUID NOBIS SCRIPSERIT.....	16

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam octogesimam (180). De hac Epistulâ tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem gaudio fore!

Denuo cena tibi apparata est opipara: tolle lege fruere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Lunae, 29. m.Oct., a.2018**



Abb. 15. Die Tadelsüchtigen. Naive bildliche Darstellung von dem Splinter in des Nächsten und dem Balken im eigenen Auge. Holzschnitt aus: Sebastian Brandt, *Mythologia Aesopi*. Basel, Jacob von Pforzheim, 1501.

**QUID AUTEM VIDES
FESTUCAM IN OCULO FRATRIS TUI,
ET TRABEM IN OCULO TUO
NON VIDES?**

MATTHAEUS 7,3 Τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου, τὴν δὲ ἐν τῷ σῷ ὀφθαλμῷ δοκὸν οὐ κατανοεῖς;
MATTHAEUS 7,3 Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides ?

CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA (II)

Care Leo Latine, quantopere stupui et gavisus sum cum in Epistula LEONINA CENTESIMA UNDEOCTOGESIMA ex inopinato tria chronogrammata „Demmingiana“ invenirem.

Tibi gratias habeo quod dignatus es illa opuscula mea in epistulam tuam suscipere.

Permittas quaeso me nunc quattuor chronogrammata ad annum proximum pertinentia tibi mandare. Noli legere ea nimis critice.

Primum est brevius:

FIDE SED QVOI TV FIDAS VIDE

Secundi duodecim syllabae locum numerorum in horologio habento:

FIDE SED QVOI TV FIDAS PERBENE VIDE

Tertium et quartum spero rectos versus hexametros esse:

**FIDE AT QVOI TV FIDAS DEBES SAEPE
VIDERE**

FIDAS SED QVOI TVTO FIDAS VISERE DEBES

Gratias tibi ago pro patientia tua! Fac ut valeas.

Ex mente te salutat Ioannes histrio Monasteriensis.

scripsit

HANNES DEMMING

Münster

FABELLAE GRIMMIANAE

78. DE AVO VETERE EIUSQUE NEPOTE



Aliquando fuit senex perquam decrepitus, cuius oculi erant turbidi, aures obsurduerant, genua tremebant. Is cum ad mensam sedebat, cochlear vix tenêre poterat, ut iterum iterumque aliquid sorbitionis de cochleari aut ex ore in pannum mensalem profunderet.

Istius rei cum taederet filium eiusque uxorem, iidem tandem avum vetulum iusserunt considerare post fornacem, in angulo, eique cibos dederunt patellae testaceae inditos, qui pauciores erant quam ut avus saturaretur; tum senex contristatus prospexit in mensam oculis umescentibus.

Aliquando senex patellam manibus tementibus cum non posset tenêre, eadem in pavimentum cecidit et diffracta est. Tum nurus socero conviciata est. Senex autem nihil dixit, sed gemuit; nurus ei êmit patellam ligneam pretio nonnullorum assium, ut ex eâdem comederet.

Cum filius nurus avusque in conclavi sederent, nepotulus quattuor annos natus in pavimento inter se colligabat tabellas ligneas. Tum pater quaesivit: »Quidnam hîc facis?« - Filiolus respondit: »Alveolum conficio, ex quo pater atque mater comedent me adulto«. Tum vir

eiusque uxor aliquamdiu inter se aspectaverunt, denique lacrimare coeperunt, avum vetulum ad mensam adduxerunt, et inde semper siverunt eum unâ secum comedere, nec eum vituperabant, cum aliquid sorbitionis in mensam profuderat.

* *
*

79. DE NYMPHA




Aliquando fraterculus atque sororcula ad puteum luserunt, et ludentes ambo in puteum ceciderunt. Infra autem fuit nympa, quae: »Nunc« inquit, »vos habeo, nunc mihi laborabitis strenuê« eosque secum abduxit. Nympa puellae nendum dedit malum linum perturbatum et aquam portandam, quam infunderet dolio cavo, puerum iussit arborem caedere asciâ obtusâ; nihil autem acceperunt edendum nisi globulos durissimos. Denique parvuli tam impatientes facti sunt, ut exspectarent, dum aliquo die dominico nymphâ in ecclesiâ versante effugerent. Missâ autem finitâ nympa vidit parvulos effugisse eosque

magnis saltibus persecuta est. Tum parvuli e longinquo nympham conspexerunt; puella peniculum post se iecit, ex quo exortus est mons peniculorum magnus aliquot milibus aculeorum obsitus, qui nymphae transeundus erat magno cum labore; tandem tamen transiit. Cum parvuli hoc viderent, puer post se iecit pectinem, ex quo exortus est mons pectinum magnus aliquot milibus dentium instructus, sed nympa scivit eosdem tenêre correptos, ut montem transiret. Deinde puella post se iecit speculum, ex quo exortus est mons speculorum, qui erat laevior, quam ut a nymphâ transiretur. Tum eadem cogitavit: »Cito domum ibo asciam allatum, ut montem speculorum diffindam«. At nymphâ redeunte vitrum diffissurâ parvuli iam pridem in longinquum effugerant, ut nympa non potuit quin in puteum recederet.

* *
* *

80. DE MORTE GALLINULAE



Aliquando gallinula unâ cum gallulo iter fecit in montem nucinum et inter eos convênit, ut is, qui invenisset nucleum nucis, eundem cum altero divideret. At deinde gallinula magnâ, immo permagnâ nuce inventa gallulo nihil de eâ re dixit nucleum sôla comesura. At cum nucleus crassior esset, quam ut degluttiret, in gutture haesit et gallinula timuit, ne suffocaretur. Tum gallinula clamavit: »Gallule, te oro, ut curras quam celerrimê et aquam afferas, ne suffocer«. Gallulus autem quam celerrimê ad puteum cucurrit et: »O fons« inquit, »da mihi aquam; gallinula iacet in Monte Nucino, nam magno nucleo degluttito periculum est, ne suffocetur«. Puteus autem respondit: »Primo curre ad sponsam, ut det tibi sericum rubrum«. Tum gallulus ad sponsam cucurrit et: »O sponsa« inquit, »da mihi sericum rubrum; nam sericum rubrum volo dare puteo, ut puteus mihi det aquam, aquam enim afferam gallinulae, quae iacet in Monte Nucino et cum magnum degluttiverit nucleum nucis, periculum est, ne gallinula suffocetur«. Sponsa autem respondit: »Primo curre et affer mihi coronulam, quae haesit in salice«. Tum gallulus cucurrit ad salicem et coronulam de ramo tractam attulit sponsae, et sponsa pro eâ gallulo dedit sericum rubrum, quod gallulus attulit puteo, qui ei pro serico dedit aquam. Tum gallulus aquam attulit ad gallinulam, at illuc cum adveniret, gallinula iam erat suffocata et iacebat mortua immota. Tum gallulus tam tristis fuit, ut magnâ voce clamaret, et omnes bestiae advenerunt deque morte gallinulae lamentatae sunt; sex autem mures carrulum construxerunt, quo gallinulam veherent sepeliendam; et carrulo perfecto mures ei se adiunxerunt, gallulus autem fuit auriga. Mediâ in viâ advênit vulpes et: »Quonam« inquit, »veheris, gallulle?« »Volo sepelire meam gallinulam«. »Licetne unâ tecum vehi?«


»Licet, sed conside in parte carruli posticâ, in anticâ si consederis, eculi mei te non patientur«.

Deinde vulpes consedit in parte posticâ; tum lupus, ursus, cervus, leo, et omnes bestiae silvestres. Itaque vehi pergentes venerunt ad rivum. Gallulus: »Quonam modo« inquit, »transvehemur?«. Tum culmus quidam prope rivum iacens: »Iaciam« inquit, »corpus meum trans rivum, ut super me vehamini«. At sex muribus pontem ingredientibus culmus lapsus in aquam cecidit, ut inciderent etiam sex mures omnes et aquis submergerentur. Tum gallulus pressus est novis angustiis, sed

carbo quidam ardens vênit dicens: »Ego sat magnus cum sim, me rivo transponam, ut vos super me vehamini«. Carbo se aquae apposuit, sed infeliciter eam paululum tetigit, ut stridens exstinctus moreretur. Hôc viso quidam lapis misericordiae plenus gallulum adiuturus se trans aquam posuit. Tum gallulus ipse carrulum traxit; at cum ipse iam unâ cum gallinulâ mortuâ esset in alterâ ripâ, ceteros in parte posticâ sedentes ad se attrahere voluit, sed carrulus, cui inessent nimis multae bestiae, in rivum relapsus est, ut omnes bestiae aquis submergerentur. Tum gallulus neminem secum habuit nisi gallinulam mortuam, quam sepelivit sepulchro a se fosso, et sepulchro imposuit tumulum, in quo sedens tam diu maerebat, usque dum ipse quoque moreretur; nunc omnes erant mortui.

* *
*

DE EPICURO PHILOSOPHO (I)



Epicurus (graecê *Ἐπίκουρος*) natus est circa annum 341 a.Chr.n. in insulâ Samo; mortuus est a.271 aut 270 a.Chr.n. Athenis; îdem fuit philosophus graecus, conditor epicureismi et Scholae Epicureae. Haec schola philosophica aetate hellenismi simul cum Stoâ exorta propter doctrinam hedonismi ab Aristippo excogitatam, ab Epicuro receptam et exauctam inde ex initiis suis dissensiones effecit inter assectatores et adversarios vehementissima. Îdem hedonismus, cum notio voluptatis epicurea persaepe falso intellexeretur, usque aetatem nostram iterum iterumque iniustê vituperatus est. Secundum nomen horti graecum (κῆπος), in quo Epicurus eiusque assectatores congregabantur, eius schola appellatur etiam *Κῆπος*.

Vita Epicuri.

Epicurus circa annum 341 a.Chr.n. Samo in insulâ maris aegaei natus est; eius dies natalis est dies vicesima mensis Γαμηλιών (secundum

calendarium Iulianum ferê mensis Ianuarius), qui postea, ut Epicurus ipse testamento suo instituerat, quotannis a discipulis celebratus est¹. Eius pater *Neocles* colonus (κληροῦχος) domicilio Athenis et ex Atticâ in Samum translato victum egenum quaesivit munere agrum colens et munere magistri elementarii fungens. Vita Epicuri nobis tradita est ratione incertâ atque lacunosâ, quae cum ceteris tum eo effecta est, quod *Diogenes Laertius*, eorum auctorum qui de vitâ huius philosophi scripserunt praestantissimus, vixit demum tertio saeculo p.Chr.n.

Epicurus iam puer quattuordecim annos natus se convertit ad philosophiam tractandam. Īdem dicitur eo commotum esse, ut inciperet philosophari, quod dubitaret de qualitate τοῦ χάους, illius voraginis hiantis, e quâ secundum *Hesiodum* omnes res sunt derivatae; hanc enim rem Epicuro a magistris parum persuasibiliter esse explicatam². Primi praeceptores Epicuri fuerunt *Pamphiles* platonicus et *Nausiphanes* democriteus. At Pamphiles Epicuro parum placuit, quia imprimis gloriabatur de arte suâ oratoriâ; quo factum est, ut Epicurus ab arte oratoriâ alienaretur. Maiorem vim ad eundem habuit doctrina *Democriti* atomistica, quam sibi propriam fecit.

Epicurus duodeviginti annos natus anno 323 Athenas vênit, ubi ephebus per biennium in gymnasio fecit tirocinium militare, quod plenâ pubertate declaratâ et receptione in indicem civium factâ absolutum est. Eodem anno Alexander Magnus mortuus erat Babylone et Athenienses seditionem fecerunt contra imperium Macedonum. Iidem cladem gravem acceperunt, quâ Neocles pater Epicuri colonus Atheniensis coactus est possessionem suam Samiam tradere occupatoribus Macedonibus, quorum dux fuit *Perdiccas*. Neocles autem fûgit Colophonem prope Ephesum sitam, ubi exulavit et quo Epicurus ipse patrem mox secutus est. A. 319 a.Chr.n., cum Samus redderetur Atheniensibus, Neocles pecuniam accepit, quâ sibi damnum resarciretur fundi sui amissi.

¹ De tempore, quo Epicurus natus est, v. [Michael Erler](#): *Epikur*. In: [Hellmut Flashar](#) (ed.): *Die hellenistische Philosophie* (= *Grundriss der Geschichte der Philosophie. Die Philosophie der Antike*. tom. 4). 1, Schwabe, Basel 1994, [ISBN 3-7965-0930-4](#), p.64sq. Secundum Chronicon Apollodori annus natalis fuit tertius post olympiadem 109.am, sub archonte Sosigene; cfr Diogenes Laertios 10,14.

² Diogenes Laertios X 2; Holger Sonnabend: *Epikur*. In: Kai Brodersen (Hrsg.): *Große Gestalten der griechischen Antike*, München 1999, p. 408

Annis sequentibus Epicurus quid egerit, omnino nescimus. Fortasse îdem vir ab anno 311 (trecentesimo undecimo) usque ad 306 a.Chr.n. (trecentesimum sextum) primo Mytilenae in urbe insulae Lesbi, postea Lampsaci prope Hellespontum philosophiam docuit. Illo tempore nescimus an Epicurus *Metrodorum Lampsacenum*, eius fratrem *Timocratem*, *Hermarchum Mytilenensem*³, *Idomeneum*, *Leonteum* eiusque uxorem *Themistam*, *Colotem*, *Polyaenum* discipulos sibi conciliaverit fidelissimos. Anno 306 a.Chr.n. Epicurus sedem suam transtulit Athenas, ubi, postquam *Demetrius Phalereus* regno spoliatus est, democratia attica visa est reviviscere. Ibidem philosophus pretio 80 minarum êmit hortum illum (*Κήπων*), in quo scholam suam condidit. Qui hortus factus est locus congregandi assectatoribus Epicuri, qui in initio numero fuisse ducenti feruntur et oriundi ex omnibus societatis generibus hominum; quorum nonnullos ad eum venisse ex regionibus remotis. Epicurus ipse unâ cum illis vixit ibi sine ullâ possessione privatâ. Praecepta huius scholae philosophicae eo graviter distulerunt a moribus coequalium solitis, quod Epicurus in symposiis discipulos recipiebat etiam paria coniugum et mulieres (hetaeras) necnon servos.

Epicurei habuisse comissiones aliasque consuetudines depravatas contenduntur ab auctoribus fide haud dignis, saltem quantum spectat ad discipulos scholae ipsis. Tales consuetudines discrepant a praeceptis Epicuri, qui convivas suos salutabat his verbis portae horti inscriptis: »Intra, peregrine! Hospes affabilis tibi appositurus est panem aquamque abundantem, nam hîc cupiditates tuae non irritabuntur, sed saturabuntur«. Epicurus enim voluit cupiditates sensuales, quibus frui non permisit nisi limitatis (v. infra), dirigi ad voluptates minores facile accessibiles: »Mitte mihi frustum casei, ut possim bene comedere«.

Per triginta quinque annos usque ad mortem suam (quae videtur a.271 vel 270 a.Chr.n. aut calculis renalibus aut urinariis effecta esse)⁴, Epicurus mansit praeceptor Horti, sub cuius tutelâ amicitiae eximiê

³ Fritz Jürß, Reimar Müller, Ernst Günther Schmidt: *Griechische Atomisten - Texte und Kommentare zum materialistischen Denken der Antike*, Verlag Philipp Reclam jun., Leipzig 1973, p. 61.

⁴ Secundum *Chronicon* Apollodori annus, quo Epicurus mortuus est, fuit secundus olympiadis 127.ae, sub archonte Pytharato; cfr Diogenes Laertios 10,15.

colebantur. Cum *Metrodorus* ante Epicurum mortuus esset, post eius mortem *Hermarchus* factus est praeceptor τοῦ Κήπου.

Epicurei, cum non studerent valere ad rem publicam, paucis exceptis vix invenerunt aditum ad homines divites potentesque sibi associandos. Tamen Hortus ultimum ab ipso *Marco Aurelio* adiutus remansit usque ad tertii saeculi p.Chr.n. initium.

Testimonia Epicuri epicureismi

Nil nisi fragmenta nobis relictas sunt operum Epicuri amplissimorum, quae complexa sunt minimum quadraginta tractatûs, inter quos sunt 37 libri operis principalis, c.t. *Περὶ φύσεως*, i.e. *De naturâ*):

- *Epistula ad Menoeceum de disciplinâ ethicâ*⁵
- *Epistula ad Herodotum de theoriâ cognoscendi et philosophiâ naturali*
- *Epistula ad Pythoclem de astronomiâ et meteorologiâ*

Praeterea duo collectanea placitorum sunt tradita:

- **Κύρια Δόξα** i.e. 40 *Ratae Sententiae* ediscendae
- **Gnomologium Vaticanum Epicureum** – collectaneum citationum a.1888 in codice aliquo Vaticano inventum, quod continet dicta Epicuri eiusque discipulorum praestantium

Propter lacunas traditionis hiantes doctrina Epicuri etiam restituitur textibus assectatorum (*Lucretii, Horatii*) et verbis *Marci Tullii Ciceronis, Plinii minoris, Senecae*. In hac autem re ne quis obliviscatur Ciceronem fuisse epicureismi adversarium acerrimum. Testimonia Epicuri et epicureismi secundaria praestantia sunt:

- *Diogenes Laertius, De vitis et dogmatibus clarorum philosophorum liber X*, cui insunt cum alia tum epistulae supra commemoratae et Epistula ad Pythoclem, de quâ est controversia, et index 41 operum Epicuri selectorum, quae sunt magni momenti.

⁵ Versio huius textûs theodisca invenitur ([Memento](#) d. 11. m.Ian. a.2007 in [Internet Archive](#))

- *Lucretius: De rerum naturâ* (carmen didacticum, quo explicatur philosophia Epicuri naturalis)
- *Marcus Tullius Cicero: De naturâ deorum; De finibus; De fato*
- *Plutarchus: Placita philosophorum, Contra Colotem*
- *Diogenes Oenoandrus*, auctor inscriptionis prolixae, quâ describuntur placita Epicuri.

Placita Epicuri

Res scholis aetate hellenismi conditis (i.e. Epicureis, Scepticis, Stoicis) communis est petitio *εὐδαιμονίας*, i.e. *beatitudinis* sive *salutis animae*. Sed scholae inter se differunt viâ ac ratione, quibus beatitudo petitur. Disciplina Epicuri a ceteris eo differt, quod îdem philosophus excogitavit methodos desiderii moderandi speciales, quibus voluptatem quam maximam assequatur, et quod docet omnes petitiones esse mortales, quia anima humana morte dissolvatur. Id quod sapiens Epicureus appetit atque desiderat, non est vita aeterna, sed *tranquillitas animi* (*ἀταραξία*), quam philosophando vivens est assecutus.

Etiam doctrina Epicuri complectitur tres disciplinas philosophiae antiquae classicas: *physicam*, *logicam* sive hîc *canonicam* (i.e. disciplinam cognoscendi) et *ethicam*, i.e. disciplinam moralem. In hac re naturae explicatio, facultatis cognoscendi consideratio necnon principia ethica respicienda id efficiunt, ut evitent tollantve res, quibus anima perturbatur, eo quod »ignota faciunt intelligibilia et comprobant inaccessibilia nihil valere et inevitabilia esse tolerabilia«⁶ Hîc modo theoria naturae explicandae nihil fit nisi instrumentum, quo philosophus tranquillitatem animi assequitur, tamen cum sit condicio sine quâ non fit beatitudo, permultum valet, cum disciplina ethica consideranda sit totius philosophiae Epicureae media pars et finis petendus absolutus⁷.

Opera Epicureorum nobis relictâ praeter argumenta inter se cohaerentia nobis praecipuê praebent sententias memoriales sive rerum intricatarum summaria, quae, cum facile memoriae mandentur,

⁶ cfr Michael Erler: *Epikur*. In: Friedo Ricken (ed.): *Philosophen der Antike*. tom. 2, Kohlhammer, Stuttgart 1996, [ISBN 3-17-012720-9](#). p. 42.

⁷ cfr [Malte Hossenfelder](#): *Epikur*. Beck, München 2006, [ISBN 3-406-54122-4](#)., p. 27.

si quis edidicit, eidem utilia sunt adiumenta res contemplandi atque considerandi⁸.

Symbolam de Epicuro Wikipedianam

Latinê reddidit

LEO LATINUS

(Altera pars sequetur)

⁸ cfr Michael Erler: *Epikur*. In: Friedo Ricken (ed.): *Philosophen der Antike*. tom. 2, Kohlhammer, Stuttgart 1996, [ISBN 3-17-012720-9](#). p. 42.

IOHANNES TERESI QUID NOBIS SCRIPSERIT

26.09.2018

Doctissime Director,

fabulae, quas iam praebuisti, ad unum reduci possunt: natura amat se ipsam.

Hercules narratur afferre sponsam velatam marito timoris pleno (vita vincit); rusticus ditissimus fieri astutus (vita vincit). Vita vult se ipsam servare non dolorose, sed hilariter (sicut dicit Nietzsche). Hercules vitam fert, sed vitam celatam, quia vis naturalis se semper abdit et exemplaria individualia manifesta. At Hercules fert: ita forma materiam informat et conformat conficiendo, fabricando, plasmando. Hercules principium intelligibile est.

Hoc episodum invenitur inter exempla Gustavi Schwab, cuius character in opere suo funereus neque gaudium neque sensum ulteriorem iubet quaerere.

Sicut iam dixi, facultas tua Latine reddendi est maxime mirabilis. Itaque oportet munere fungaris auctoris in campo litterario Latino.

Laboribus tuis Latinis tantam harmoniam verborum assequeris, quantam in somniis tantum solet animus confingere.

Itaque in meditatione mea quae sequitur dico narrationem hodie inchoari hoc modo: est quidam qui vivit in aliqua parte mundi ...

Scriptor abest qui plastice condicionem hominis praesentet et eodem tempore remedia indicet humana. Cur plastice? Quia lingua Latina non describit, sed pingit, incidit, sculpsit animos sicut imagines marmoreas. Novus proinde sermonis usus "linearitatem" contra linguarum vulgarium debet adoptare, ut facillimo et currente modo syntagmatice legibilis fiat et omnibus accessibilis.

Vale

Johannes Teresi

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD- ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD- ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90


		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM OCTOGESIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT



Die Lunae, 29. m.Oct. a.2018

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>